



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal: Gregorii IX.

Herberstein, Ferdinand von  
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo

Spirens., 1660

11. An Titius qui nec Auctor, nec socius criminis fuit, noverit tamen vel solus, vel cum alijs auctorem criminis, in generali inquisitione obligetur auctorem criminis manifestare? confirmantur dicta, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11416**

contra Reum: non ergo Reus in hoc casu tenebitur seipsum prodere, sicut nec socius criminis detegere tenetur auctorem criminis, quia detegeret cum detrimento, & manifesto sui ipsius periculo, quatenus semel detectus jure dein interrogaretur Reus de socio & criminis adiutore, & ita teneretur criminis prodere socium.

II. Sed quid si Titius qui nec auctor, nec socius criminis fuit, noverit tamen vel solus, vel cum aliis duobus auctorem criminis, an in tali inquisitione generali tenetur auctorem criminis detegere? Rationes pro affirmativa sententia hæc sunt: 1. quia si in hoc casu præcessisset accusatio contra reum, Titius ut testis teneretur eum detegere. 2. Quia si Titius non tenetur reum detegere ad nihil conducet inquisitio generalis. 3. Quia Judex jus habet interrogandi, ut jam dictum, ergo Titius tenetur veritatem dicere, ob quas rationes aliqui tenent Titium obligari ad detegendum Reum, quia Titius in casu posito posset saltem crimen denunciare. Alij verò respondent, quod si Titius solus noverit,

verit, cum non teneri, secus verò, si cum  
 ipso alius, vel alii duo noverint, rationem  
 assignant, quia si unâ cum aliis novit, ju-  
 re posset malefactorem accusare, at in ca-  
 su quo jure posset accusare, tenetur veri-  
 tatem dicere, si à Judice jure interroge-  
 tur, at si sol<sup>o</sup> noverit cum non posset hunc  
 accusare, neque tenetur interrogatus, ut  
 testis veritatem occultam detegere. Sed  
 contra, quia non est major ratio cur te-  
 neatur Titius, quando cum aliis ipse Re-  
 um noverit, quam quando solus ipse no-  
 vit: quia sicut quando duo vel tres sunt  
 testes cōtra aliquem plenam faciunt pro-  
 bationem, & tribuunt jus interrogandi  
 reum etiam per torturam, sic etiam unus  
 testis omni exceptione major facit semi-  
 plenam probationem, & tribuit jus Judi-  
 ci interrogandi Reum. Deindè cur non  
 teneretur Reum detegere, quando solus  
 ipsum novit, siquidem in eo casu posset  
 saltem per denunciationem crimen ad ju-  
 dicem deferre, ut ipse Judex ex officio po-  
 stea specialiter contra reum denuncia-  
 tum inquirat? **Q**UARE aliis videtur in  
 prædicta inquisitione generali Titium  
 non

non

non teneri, sive solus ipse noverit, sive cum aliis, quia tres vel quatuor testes non faciunt famam publicam contra Reum: evidentiā autem criminis etiam notorii non supplet locum accusatoris, quando non etiam Reus est notorius ac per consequens Judici jus non tribuitur inquirendi contra Reum in particulari qui occultus est: & probant ultra doctrinam suam, quia si casu Judex interrogasset in specie Titium de Cajo an illud crimen commiserit, Titius non posset jure Cajum detegere, ergò etiam si Judex generaliter inquiret, quis crimen commiserit, Titius non tenetur Reum detegere: ita secunda sententia. **S E D** profectò nobis probabiliùs videtur, Titium obligari ad detegendum reum, sive ipse solus ipsum noverit, sive cum alio, aut aliis ob rationes supra allatas pro affirmativa sententia, & reus sibi imputet, siquidem delictum notorium perpetravit vidente uno aut pluribus.

12. **S E D** licet Judex ex sola criminis evidentiā procedere posset ad inquisitionem generalem, quando tamen inquisitione